

primo digna & sufficiens fuerit capta de peccato vindicta: nunquam alia postea de illo sumetur, ne Deus bis vindicare videatur. Omnia quae hoc loco Hieronymus docet, quoniam periculosa est illius sententia, nisi illum nimium benigne interpretemur. Si hoc modo intelligenda est duplex tribulatio, nescio quo pacto ostenderetur confurgere duplicem tribulationem, per hoc quod lex poenalis obliget simul ad culpam & ad poenam. Nam obligatio ad culpam non est tribulatio, hoc est, peccati punicio, sive vindicta. Quia etiam si nulla in homine praecessisset culpa, potest illi dari lex obligans ad culpam. Deinde, illa Prophetae sententia non est generaliter & absolute ad omnes referenda, sed juxta verum litterae sensum duabus tribubus, quae ex captivitate Judaica sunt ereptae, dicitur, ut non timeant se etiam in captivitate redigi, sicut aliae decem tribus: quia Deus non vult eis talem vindictam de populo Judaico sumere. Et hoc est quod dicit non confurgere duplicem tribulationem. Si vero illa Prophetae verba, non ad solas duas tribus, sed ad omnes in universum homines dicta esse quis velit, oportet ut illa non de omni peccati punitione & vindicta intelligatur, sed de sola illa quae est culpae aequalis, & per quam digna, & pro sua mensura culpa puniatur. Nam de aliis punitionibus quae culpae mensuram non impleant, non est dubium quin duas & tres, & multo plures saepe Deus inferat pro unica culpa. Hieremias siquidem de populo Judaeorum in idolatriam converso, loquens ad Deum, ait: *Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione conterte eos.* Duplicem contritionem dixit pro duplici punitione quam illi impetratur. Et Propheta Regius in Psalmo centesimo octavo, de Juda proditore prophetaus, multas, variasque illi pro peccato proditoris praedicit poenas. Ex his omnibus aperte constat illa Nahum Prophetae verba, quibus ait: *Non confurget duplex tribulatio, nihil profusus agere ad probandum legem poenalem non posse obligare ad culpam.* Cum igitur constet nulla lege divina positiva prohibuit esse legem humanam poenalem posse obligare ad culpam, hoc solum jam mihi superest probandum, non esse contrarium legi naturali, legem poenalem obligare simul ad culpam & ad poenam. Hoc autem vel ex eo apertissime probatur quod multa fuerunt olim, & sunt nunc leges divinae simul ad culpam, & ad poenam obligantes, quas Deus nunquam dedisset, si legi naturali contrariarentur. Absurdum enim esset dicere, Deum legem aliquam condidisse, quae legi naturali repugnet. De qua re apertissimum reddit testimonium beatus Cyprianus, qui in sermone de baptismo Christi Deum alloquens, ait: *Lex tua docet vitare peccatum, & corripit transgressores, & ut lotis, mundisque pedibus in via immaculata incedant, omnia praemonstrat offendicula, & insinuat diverticula, quibus periculosi transitus evitentur, nihil impossibile, nihil jubet austerum.* In quibusdam, per legem tuam promissa praemia nos invitant, in multis poenae propositae, & supplicia, vel damna terrores, animos a scelere retrahunt appetitu. Neque lex tua scripta a lege naturali in aliquo dissonat. Haec Cyprianus. Et beatus Augustinus, super illum versum: *Praeparantes reputavi omnes peccatores terrae,* ex Psalmo 118, ait: *Legem divinam institutam esse legem naturalem, sive auctam, sive firmatam; tantum abest, ut putet legem divinam repugnare unquam legi naturali.* Et libro 22. contra Faustum Manichaeum, cap. 27. multo apertius hoc docet, sic inquit: *Lex aeterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens,*

per turbati, vetans. Haec Augustinus. Neque soli sancti viri, aut viri christiani, sed etiam Gentiles, qui non tam plene de Deo habuerunt notitiam, intellexerunt Deum in suis operationibus nunquam a lege naturali discedere. Nam Aristoteles in libro de Mundo ait: *Deus (ut veteres sermone tradidit) cum omnium rerum principium, & finem, mediumque aeternae, recte, semper secundum naturam incedit, quem iustitia semper affectatur, ulciscens legis divinae violatores.* Haec ille. In quibus verbis id potissimum annotandum est quod ait, Deum recte semper secundum naturam incedere: quod ideo dictum esse constat, ut ostenderet Deum nihil contra legem naturalem agere. Est itaque evidens, & omnibus manifestum, Deum nullam unquam legem condidisse quae legi naturali repugnet. Si igitur ostendero multas esse, aut fuisse divinas leges simul ad culpam, & ad poenam obligantes, inde manifeste probatum erit, non esse contra legem naturalem, si lex aliqua statuat quae simul obliget ad culpam & ad poenam. Prima quam Deus homini dedit lex, habetur in libro Genesis, cap. 2. per haec verba, quibus Deus primo homini loquens, ait: *Ex omni ligno paradysi comede: de ligno autem scientiae boni & mali ne comedas. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce legem poenalem, de qua nullus fidelis negare poterit eam obligasse simul ad culpam & ad poenam. Nam quod lex fuerit poenalis, ex poena mortis, quam illa minatur, & quam Deus homini (ut Paulus docet Rom. 5.) propter illius legis transgressionem infligit, apertissime constat. Quod autem lex illa obligaverit ad culpam, adeo est omnibus, praesertim Christianis, manifestum, ut nullus sit homo, qui in se non portet culpam, quae ex transgressione illius legis contracta est, testimonium. Quia non in solo Adam culpa illa, aut poena permanit, sed per Adam in omnes homines (ut Paulus ait ibidem) sicut peccatum, ita & mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Dicens itaque Deus: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris,* simul denuntiavit culpam quam legem transgrediendo committeret, & poenam quam pro legis transgressione sustineret: utrumque enim horum culpam videlicet & poenam nomine mortis significavit. Deius rei testimonium profero beatum Eucherium, qui in libro primo super Genesim, cap. 17. praedicta verba interpretans, ait: *Hanc quum Deus homini minatus est mortem, non eam tantum debemus accipere: quia caro separatur ab anima, sed hanc quae haec alienatur a Deo, qui est vita sua. Sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima ut beate vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta a Deo anima jure dicitur mortua, ex qua tres postea sententiae sunt mortis, prima in anima, secunda in carne, tertia in damnatione. Sed ut istae sequerentur, prima praecessit desertio Dei. Haec tenet Eucherius. Post hanc legem, quam solum Deus homini in statu integritatis naturae dedit, alias multas pro statu naturae lapsae, & diminutae condidit leges, in quibus multae sunt quae simul obligant ad culpam & ad poenam. Nam omnes illae leges quae prohibebant matrimonia contrahi inter illos qui erant aliquo consanguinitatis, aut affinitatis gradu conjuncti, obligabant ad culpam & poenam eos qui contra tales leges matrimonia contraxissent. Obligationem ad culpam apertissime Deus expressit, quum post daret omnes illas leges, statim subiecit: *(Levit. 18.) Omnis anima quae fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui.* Obligationem ad culpam & poenam simul ostendit, quum postea illas easdem leges re-*

petens, in multis illarum poenam mortis statuit contra eos qui leges illas transgredirentur. *Qui dormierit cum uxore sua (imquit lex, Levit. 20.) & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque morietur, quia scelus operati sunt, sanguis eorum sit super eos. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nephas in medio vestri.* Et aliae multae similes leges illic continentur, quae poenam mortis transgressionibus minantur. Haec autem mortis comminatio (ut Doctor Subtilis Scotus recte annotavit in 4. Sent. d. 1. q. 6.) nunquam in lege Moysaica ponitur nisi propter transgressionem: quae esset culpa mortalis. Praeterea in Lege Evangelica, quae multo mitior & suavior est quam lex Moysaica, aliquas quamvis paucissimas leges poenales instituit Christus, per quas aliquibus criminibus certas poenas infligit: nec tamen per talem poenarum inflictionem eos a culpa obligatione absolvit, immo potius ad ostendam culpam gravitatem, & ad averendum homines, ab illius culpae perpetracione talem minatus est poenam. Nam homicidas statuit juste illos posse in poenam criminis a iudice ad mortem damnari, sic inquit: *(Matt. 16.) Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit.* Per haec enim verba (ut omnes Theologi concorditer docent) Christus dedit iudicibus potestatem occidendi homicidas. *(Matt. 19.) Adulteros etiam (ut longe latius libro secundo, Deo duce, ostendimus) punivit, privando eos jure exigendi debitum ab uxore suis, quando hanc solum dixit esse causam propter quam marito licet dimittere uxorem suam. Nullum credo tam dementem esse, ut dicat homicidam liberum esse a culpa, propterea quod hominem occidens se exposuit periculo poenae quam illi lex divina minatur. Et idem profusus dicendum est de adultero: quum adulterium committens amittit jus exigendi debitum ab uxore. Ex quibus omnibus constat aliquas esse a Deo conditas leges obligantes ad culpam, non obstant quod per easdem, aut per alias leges sint ab eo decretae poenae contra transgressores illarum legum. Et quia divinae leges (ut jam probavimus) nunquam a lege naturali discedunt, inde aperte convincitur non esse contra legem naturalem, potestatem humanam statuere legem quae simul obliget ad culpam & ad poenam. Et quia supra probavimus hoc nulla lege divina positiva, aut humana esse prohibitum, inde evidentissime probatur potestatem humanam habere jus condendi legem quae obliget ad culpam, non obstante poena per eandem legem impositam.*

Tertio principaliter ad probandum eandem conclusionem argumentor ex multitudine exemplorum, quae apertissimum testimonium reddunt, jam saepe ab humana potestate factum esse id, quod nos ab humana potestate fieri posse contendimus. Plurimum (ut notum est) sunt leges Canonicae, quae aliquid extra jus divinum praecipiunt, aut prohibent sub poena excommunicationis ipsi facto incurrendae. Omnes hujusmodi leges ab humana potestate conditae sunt per auctoritatem illi a Deo collatam, & tamen omnes illae obligant illarum transgressores simul ad culpam & ad poenam. De obligatione ad poenam, vel ex eo constat, quod cum illis lata exprimat sententia, quotquot tales leges transgrediuntur, incurunt sententiam excommunicationis. Obligatio vero ad culpam apertissime convincitur ex ipsa sententia excommunicationis, quae per talem legem contra transgressores profertur. Quia excommunicationem non nisi pro peccato mor-

tali, eoque gravi, & cui est annexa contumacia potest inferri, ut dicitur in capitulo Nemo, & capit. Certum 11. quest. 2. Et ob hanc causam nos supra diximus excommunicationem quae per legem aliquam imposita est, efficacissimum esse argumentum ad probandum legem illam obligare ad culpam mortalem. Sunt adhuc aliae leges poenales quae praeter excommunicationem alias poenas transgressionibus earum imponunt, & illas obligare ad culpam, est adeo manifestum, ut nullus merito dubitare valeat. Nam in capitulo, Perpetuae, de Electione, libro sexto, declarat Papa eum qui scienter elegerit indignum simul committere culpam, & incurere in poenam. Super quem textum Dominicus de Sancto Geminiano notabi, tertio, haec ait: *Nora hic optimum textum, qui facit in argumentum, quod veniens contra legis praecipitum peccat mortaliter, etiam si in lege praecipiva sit alia poena imposita. Probat textus: quia dicit hic, quod quoad Deum puniatur iste, & etiam ab Apostolica Sede, ex quo tunc fecit a jure prohibita, licet non peccasset: tamen quoad Deum fecit. Haec Dominicus, qui eandem sententiam iterum docet, & colligit ex capitulo, Commisera, §. Illud, eodem titulo. Sed forte aliquis dicit in illis capitulis citatis assignari poenas contra transgressores praecipitorum divinarum, & ideo non bene probari ex illis humanam potestatem lege ab ea statuta obligare aliquem simul ad culpam & ad poenam. Ideo alia exempla ego profero multo manifestiora, quibus aperte probatur aliquam legem humanam simul obligare ad culpam & poenam. Est enim quadam lex circa librorum Impressores condita in sessione nona Concilii Lateranensis, sub Julio secundo, & Leone decimo celebrati, qua eisdem Impressoribus praecipitur, ut nullus eorum librum aliquem imprimere, seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe Romana per Vicarium Papae, & sacri Palatii Magistrum, in aliis vero Civitatibus & Diocesisibus per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiae libri, seu scripturae hujusmodi imprimendae ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis Civitatis, sive Diocesis, in qua libri illius impressio fieret, diligenter examinatur, & per eorum manu propria subscriptionem, quam sub excommunicationis sententia gratis & sine dilatione dabant, approbatur. Qui autem Impresor contra hanc datam legem aliquid ausus fuerit imprimere, ultra excommunicationis sententiam quam ipso facto lex illi infert, puniatur etiam per eandem legem amissione omnium librorum impressorum, & publica illorum combustionem, ac centum ducatorum fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, sine spe remissionis solutionis, ac per continuum annum ab exercicio impressiois suspensionem. Quae lex iterum in tertia sessione Concilii Tridentini, sub Paulo tertio celebrati, me ibidem praesente, confirmata est. Ecce vides quam multas poenas haec Canonica lex contra illius transgressores statuit, nec tamen omnes illae obstant, quin lex illa eisdem transgressores simul obligaverit ad culpam mortalem. Hoc autem vel ex eo facile convincitur, quod ultra omnes illas poenas contra illius legis transgressores sententiam protulit excommunicationis, quae (ut jam diximus) non nisi pro peccato mortali inferri potest. In eodem Concilio Lateranensi, sessione nona condita est alia lex contra eos Clericos beneficia habentes, qui Divinum Officium, prout tenentur, Deo perolvere omittunt: quae etiam poenalis sit, ad culpam tamen obligat, ut ex verbis illius aperte constare potest, quae talia sunt: *Statuimus quoque & ordina-**



mus, quod quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficiorum suorum fructus non faciat pro rata omissionis recitationis officii & temporis: sed eos tamquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter perseveraverit, legitima monitione praecedente, beneficio privetur, cum proter officium detur beneficium. Intellegatur autem officium omittere quoad hoc, ut bene probari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit; Deo tamen ultra praemissa de dicta omissione redditori rationem. Ex quibus verbis aperte constat, statutum illud, etsi poenale sit, obligare ad culpam, aut saltem non tollere obligationem ad culpam, quae ante tale statutum habebatur. Quia nisi talis officii divini omissionis culpabilis esset, non oporteret de illa rationem Deo reddere. Multas alias possem ex utroque jure leges in medium proferre, quae simul ad culpam & poenam obligant: sed quia istae ad probandum id, quod in principio hujus capituli posuimus fundamentum, sufficient, & istae apertiores etiam sunt, quam ut de illis quis merito dubitare possit: ideo alias omnes, de quibus aliqua forte poterat intempestiva oriri contentio, nunc prudens omitto, ut suo loco commodius de illis disputare valeam.

CAPUT IX.

Quod lex pure poenalis, quatenus talis est, numquam ex se obligat ad culpam.

Quamvis apertissimis rationibus ostendimus hominem legislatorem posse condere legem poenalem, quae simul obligat ad culpam: non tamen ideo credendum est, illum, quotiescumque legem poenalem statuit, hac usum fuisse potestate: sed aliquas leges poenales condidisse, quae ad nullam prorsus obligant culpam, alias rursus quod illarum transgressores faciunt culpam, simul & poenam obnoxios. Operaretur igitur me facturum existimavi, si offenderem quae & quales sint leges poenales ad nullam culpam obligantes, & quae sint quae ad culpam simul & poenam obligant. Quae res, cum nimium varia sit, sicut non potest unica & certa regula definiti, ita etiam nec uno capitulo absolvi, nisi adeo prolixum foret, ut lectori, quamlibet tenaci atque constanti, facile fastidium commovere posset. Ut igitur lector liberius in lectione persisteret, & quae legerit, memoriae facilius commendare valeat, decrevi hujus quaestionis definitionem per varias regulas distinguere, & per diversa capitula parti. Sit igitur haec prima regula.

Lex pure poenalis, quatenus talis est, numquam obligat ad culpam aliquam, quae contrahi possit, propterea quod fit, aut omittitur id, propter quod est imposita poena, quamvis aliquando ratione gravitatis poenae innuat illum, cui poena imponitur esse aliunde ad culpam obligatum. Haec regula juxta singulas illius partes prius declaranda est, & ex illius declaratione facile illius veritas patebit. Primo igitur pro hujus regulae declaratione annotare oportet, duplicem esse legem poenalem. Quaedam est lex pure poenalis, & alia est lex poenalis mixta. Hanc legis poenalis distinctionem annotat solemnis Doctor Henricus a Gandavo, quodlibeto 3. quaest. 22. quamvis eas leges non appellet his nominibus quibus nunc ego eas appello, sed

tantum ponit exempla earum. Sed quia hanc legis poenalis distinctionem, aliqui rem non bene considerantes, irrident, praesertim Sylvester in sua summa in titulo inobedientia, circa finem, ubi dicit esse verba tantum & puerilem distinctionem; ideo volo singulas hujus distinctionis partes aperte explicare, & ostendere ex utroque jure divino, scilicet & humano, non tantum verba tantum & puerilem (ut Sylvester sine urbanitate & civilitate dixit) sed veram & realem esse inter illas distinctionem. Et tandem ostendam id, quod potissimum in hoc capite intendo, legem pure poenalem, quatenus talis est, non obligare ad culpam. Lex pure poenalis est illa, quae nihil facere praecipit, aut prohibet: sed tantum imponit poenam illi, qui aut aliquid fecerit, aut facere omiserit. Lex poenalis mixta est, quae aliquid fieri praecipit, aut prohibet, & insuper verbis expressis statuit poenam contra ejusdem legis transgressorem, quocumque modo illa statuat. Parum enim refert, quod sit poena aliqua certa decreta, aut quod sit Judicis arbitrio commissa, quocumque modo exprimat poenam in ipsa lege contra praecipit aut prohibitionis transgressorem, semper lex illa dicitur lex poenalis mixta. Si vero nullum sit verbum in ipsa lege, quod aliquo modo exprimat, aut innuat poenam contra ejusdem legis transgressorem, quamvis Judex possit propter aliquod aliud decretum illius legis transgressorem punire, nunquam tamen lex illa dicitur lex poenalis mixta: quia lex poenalis dici non meretur, quae nullum in se continet verbum aliquo modo exprimens poenam. Sed lex illa dicitur solum moralis, videlicet praecipit aut prohibet, quia de solis moribus differit, & nihil profus de poena tractat. Nam ideo lex aliqua dicitur poenalis mixta, quia sub eodem verborum contextu simul in ea miscentur mores & poena. Ea parte qua aliquid praecipit aut prohibet, lex moralis censeri debet: ea vero parte qua poenam contra transgressorem statuit, poenalis dicenda est. Et inde evenit, ut tota integra lex quae ex illis duabus partibus componitur, merito lex poenalis mixta dicitur. Istarum duarum legum poenalem, videlicet legis pure poenalis, & legis poenalis mixtae distinctionem & diversitas manifeste probatur ex diversis legis potestatibus, qua Modestinus Jurisconsultus explicat in leg.

Legis virtus, ff. de legibus, sic inquit: Legis virtus haec est imperare, vetare, permittere, punire. Haec ille. In quibus verbis diversas legis potestates enumerans, eas distinguit per diversa objecta, hoc est, per diversas materias circa quas leges ipsae versari possunt. Si res est bona, lex illam praecipere potest: si mala, potest illam prohibere: si neutra est aut indifferens, hoc est, si nec ex se bona aut mala, illam potest permittere. Si malum quis fecerit, lex illum punire potest, & poenam contra illum statuere. Si bonum quis fecerit, lex etiam potest illi mercedem donare, & praemium illi decernere. Et hanc quintam legis potestatem videtur Jurisconsultus praeterisse in suis illis verbis modo citatis. Nec Accursius hujus potestatis legis meminit, quam ipsius Modestini verba interpretatur, & illis aliquid opponere nititur. Dicit tamen nullam esse legem, in qua aliquid ex illis quatuor a Modestino expressis, aut aliquid aequipollens non inveniatur. Sed certe ego non video quo pacto possit Accursius ad aliquid illorum quatuor reducere legem, quae nihil aliud, praecipiens aut prohibens, fieri statuit, praemium reddi illi qui primus hostium muros ascendit, ut per solem spem praemii multos ad opus illud alliciat. Sicut enim mala punire virtus est legis, & potestas principis, ita etiam potestas est principis & legis virtus bonum praemio afficere. Sed in Mo-

dest-

destini favorem dici potest illum, et hanc legis potestatem verbis apertis non expresserit, eam tamen aperte innuissit, quum dixit legis virtutem esse punire. Quia sicut malis poena, ita justis debetur praemium. Quisquis has omnes legis potestates plene consideraverit, facile agnoscat, eas non esse sic inter se connexas, ut una non possit sine altera actum suum exercere. Non est enim necessarium, ut quaelibet lex simul praecipiat, & prohibeat, & permittat, & puniat, & praemio donet: sed satis est illam aliquid horum praesare, ut lex dici mereatur, ex quo necessario consequitur, ut sicut potest esse lex aliqua, quae solum praecipit, absque hoc quod puniat, & alia quae sine aliqua poenae impositione aliquid prohibet; ita e contrario poterit esse aliqua lex, quae absque hoc quod aliquid praecipiat aut prohibeat, per metum poenae urgeat ad faciendum id quod fieri oportet: & aliqua rursus poterit esse lex, quae aliquid praecipiat aut prohibeat, & simul poenam imponat contra eos, qui fuerint legem transgressi. Lex igitur quae sine alicujus poenae designatione aliquid praecipit aut prohibet, dicitur pure moralis. Legem moralem hic voco, non ut Theologi eam distinguere solent contra legem judicalem aut caeremonialem, prout est illa quae differit de actu virtutis necessario, sed illam omnem quae quovis modo ad aliquam virtutem possit reduci, sive illa ordinetur ad lites tollendas, sive ad bonos populi mores institutos. Quae autem absque hoc quod aliquid praecipiat, aut prohibeat, poenam decernit contra eos qui aliquid fecerint aut omiserint, lex est pure poenalis. Lex vero quae aliquid fieri praecipit, aut vetat, & poenam insuper contra legis transgressores statuit, dicitur lex poenalis mixta. De lege pure moralis non est opus exempla proferre, quia de illa in hoc opere non differo, sed solum de lege poenali. Verumne exempla deesse videantur, ubi tam multa & tam aperta occurrunt, paucas aliquot ex omni genere decrevi leges citare, ut ex illarum plena consideratione facile quisque censere valeat, an sit pure moralis, an pure poenalis, an mixta. Sed ut apertius & facillius, Lector, hoc quod promitto efficere valeat, non sola legum capita (ut mos est a Jurisperitis receptus) sed aliquando ipsas leges citabo, ut illarum verba coram oculis habens, statim sine alterius libri adminiculo de quolibet illarum judicare possit, quo nomine sit censenda. Leges pure morales sunt, quae sequuntur tam ex jure divino, quam ex jure humano. Ex jure divino & naturali leges pure morales sunt omnes illae decem, ex quibus constituitur ille solemnis decalogus ad vitam aeternam consequutionem necessarius. Nam omnes illae leges, prout in Exodo cap. 20. continentur, quamvis bonae praecipiant, & mala prohibent, nullam tamen contra ipsarum legum transgressores poenam adiciunt. Erant adhuc praeter haec Decalogi praecipia plures aliae leges pure morales, inter eas quas Dominus Deus olim dedit per Moysen, ex quibus paucas aliquot proferam. Si emeris servum Hebraeam, inquit Deus per Moysen (Exod. 21.) sex annis serviet tibi, septimo exiet liber gratis. Advenam non contristabis, neque affliges eum, advena enim & ipsi fuistis in terra Aegypti. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei: (Exod. 22.) Ex jure humano plurimas possem leges pure morales in exemplum proferre, sed ne absque necessitate chartas legibus impleam, solas tres aut quatuor citabo, & sunt quae sequuntur. Non oportet in quadagesima quinta feria ultima hebdomadae jejunium dissolvere, & totam quadagesimam inhonorari, sed per totos dies jejunare, & escis abstinentiae convenientibus, id est arido-

ribus uti. Haec lex condita est in Concilio Laodiceno, & habetur in cap. Non oportet, de consecrat. distinct. 3. Similis lex de eadem re data est a Martino Papa in Concilio Romano, in qua dies dominici excipiuntur, qui non erant excepti in lege praecedenti. Et citatur hic canon a Gratiano in cap. Non liceat, eadem distinctione. Circa Missarum auditionem variae datae sunt pure morales leges. Una lata est in Concilio primo Aurelianensi cap. 28. sub hoc verbo tuin tenore. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quam Missa solemnitus compleatur. Alteram dedit legem Anastasius Papa de modo audiendi Evangelium, quum legitur in Missa, haec continentem verba: Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia leguntur, ut sacerdores & caeteri omnes non sedentes, sed venerabiliter curvi, & in conspectu Evangelii stantes; dominica verba intente audiant, & fideliter adorent. Has duas leges citat Gratianus de consecrat. distinct. 1. in cap. Cum ad celebrandas, & cap. Apostolica. De observatione diei dominici lata est lex alia in Concilio apud Compendium in Gallia, per quam prohibetur, ne mercatum in die dominico fiat, neque aliquis ad mortem damnetur. Et citatur haec lex in cap. Omnes, de feriis. Omnes istae leges, tam divinae quam humanae, dicuntur pure morales, quia solum praecipit aut solum prohibitionem absque alicujus poenae impositione continent. De his legibus, quae solum morales censentur, non est opus amplius differere, quia juxta hujus nostrae disputationis aeam non sunt constitutae. His igitur prorsus relictis, ad legum poenalem exempla recensenda procedamus, & primo leges pure poenales deinde mixtas proferamus.

Leges pure poenales a Deo datae sunt, quae sequuntur. Si quis (inquit Deus per Moysen (Exod. 20.) furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove. Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inveniatur, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. (Levit. 24.) Si machatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjugio proximi sui, morte moriantur & machus & adultera. Qui dormierit cum uxore sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum super eos. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur: quia scelus operati sunt, sanguis eorum sit super eos. Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nequias, morte moriantur, sit sanguis eorum super eos. Qui supra uxorem suam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivens ardebit cum eis, nec permanebit tantum nequias in medio vestri. Et multae aliae similes leges in eodem loco recensentur, quae poenas imponunt illis, qui incestas celebraverint nuptias. Quod autem haec omnes sint solum poenales dicenda, inferius aperte probabo. Ex jure canonico leges mere poenales ex multis aliis quibusdam multum conducibiles. In cap. Plerumque, de donationibus inter virum & uxorem, haec Lex habetur. Si mulier ob causam fornicationis iudicio Ecclesiae aut propria voluntate a viro recesserit, nec reconciliata potest sit eidem, dotem vel dotalium repetere non valebit. In cap. De caetero, extra de homicidio voluntario vel casuali, haec, quae sequitur, statuit legem Alexander Papa, hujus nominis tertius. De caetero noveris, quod Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad sacerdotium promovendus. In Concilio Carthaginensi quarto duae de auditione verbi Dei, & de auditione Missae, conditae sunt leges, quas mere poenales esse, ex verbis illarum apertissime convincitur.



Sacerdote (inquit lex) verbum in Ecclesia faciente) qui egressus de auditorio fuerit, excommunicatur. Qui de solemnitate, prætermissa Ecclesie conventu, ad spectacula vadit, excommunicatur. Et citantur hæc leges sive canones (nam canones merito leges appellare possumus) à Gratiano in cap. Sacerdote, & cap. Qui die, de consecrat. distinct. 1. Ex jure civili leges pure pœnales sunt innumera, ex quibus tres aut quatuor solum exempli causa integras citabo, leg. Capitalium, ff. de pœnis, diversæ pœnæ pro variis & diversis criminibus statuuntur his verbis: Venerarii capite puniendi sunt, aut si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi. Grassatores, qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur: & si cum ferro agredi & spoliare instituerint, capite puniuntur, utique si sæpius atque in itinerebus statuuntur: ceteri in metallum dantur, vel in insulam relegantur. Igni cremantur plerumque servi, qui saluti dominorum suorum insidiaverint: nonnumquam etiam liberi plebei & humiles personæ. Incendarii capite puniuntur, qui ob inimicitias vel prædæ causa incendierunt intra oppidum, plerumque vivi exurantur. Deinde in leg. Si quis aliquid, 2. eodem titulo, multæ aliæ pœnæ aliis diversis criminibus decernuntur sub hoc verborum contextu. Si quis aliquid ex metallo Principis, vel ex moneta sacra furatus sit, pœna metalli vel exilii punitur. Transfugæ ad hostes, vel consiliorum nostrorum renuntiatores, aut vivi exurantur, aut furca suspendantur. Auctores seditionis & tumultus, populo concitato pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestiis subjiciuntur, aut in insulam deportantur. Sunt aliæ plurimæ in jure civili similes leges, sed hæc pro exemplo sufficiunt. Si quis tamen plura adhuc exempla ex jure civili desiderat, libenter illi aliarum legum capita offeram, ut ipse per se in fonte eas integras inspicere valeat, leg. Numquam, ff. de privatis delictis, leg. Fullus, §. Quia alienum, & leg. Qui ea mente, ff. de furtis, leg. Divus, ff. de extraordinariis criminibus, leg. Qui ædes, & leg. Si quis ex naufragio, & leg. Pedius, ff. de incendio, ruina, & naufragio, leg. Prætor ait, prima & secunda in principio, ff. vi bonorum raptorum, leg. Si lenones, C. de Episcopali audientia, leg. Hi qui, & leg. Eum qui, C. de Apofatis, leg. Quisquis, C. ad legem Juliam majestatis, leg. Quamvis, & leg. Cum vir, C. de adulteriis, leg. Unica, C. de raptu virginum. Multas alias possem ex jure civili leges in exemplum citare, sed hæc mihi sufficere videntur.

Ex jure etiam Hispano, præsertim Regni Castellæ, aliquas volo in medium proferre leges mere pœnales, ut ex omni parte lector habeat exempla, quibus possit reliquas omnes leges conferre, & ex illarum collatione discernere, an sint mere pœnales dicendæ. In libro octavo regaliū ordinationum Regni Castellæ, tit. 6. qui est de perjuris atque falsariis, sequentes leges habentur: Præcipimus, ut quæcumque persona, cuiuscumque status, præminentie, aut dignitatis, violaverit, aut non servaverit juramentum quod fecerit super quocumque contractu, ipso facto amittat omnia bona sua, quæ ex nunc nostræ cameræ applicamus. Ordinamus, ut quicumque falsificaverit nostra sigilla, aut sigillum alienius Archiepiscopi, aut cuiuscumque alterius Prælati, amittat suorum bonorum medietatem nostræ cameræ applicandam. In eodem libro, tit. 7. qui est de proditoriis aut traditionibus, hæc lex secundo loco habetur. Proditor est iniquus homo, & ab omni bonitate alienus, & ideo est ipso facto omnibus bonis suis privatus, & sunt nostræ cameræ applicata.

In eodem etiam libro, titulo 9. qui est de injuriis, hæc lex secundo ordine locatur. Quicumque verbis inhonestis & graviter infamantibus aliquem injuriaverit, canter coram Judice palinodiam, & solvat insuper trecentos solidos, quorum medietas nostræ cameræ applicabitur, reliqua vero medietas dabitur injuriam passo. Plurimas alias ex jure Regni similes leges citare potuissim, sed hæc mihi satis esse videntur, ut pro exemplis lectori servare possint. Hæc omnes leges, quas ex jure divino & humano pro mere pœnalibus citavimus, ex eo constat esse pure pœnales, quod nulla illarum præcipit aliquid, aut prohibet, aut permittit, sed quælibet illarum pœnam dumtaxat statuit, quæ debeat pro crimine infligi.

Legis pœnalis mixtæ exempla reddere etiam oportet, ut de omni lege exempla habeantur, à quibus lector discat, quid de aliis sentire debeat. Leges mixtæ ex jure divino sunt, quæ sequuntur. Vidue & pupillo non nocentibus (inquit Deus per Moysen Exod. 22. Si laferitis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestre vidue, & filii vestri pupilli. Rursum in Levitico cap. 19. ait Deus: Si immolaveritis hostias pacificorum Domino, ut sit placabilis, eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero: quidquid autem residuum fuerit, in diem tertium igne comburetis. Si quis post bidentem comederit ex ea, prophanus erit & impietatis reus: portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, & peribit anima illa de populo suo. Leges mixtæ ex jure canonico sunt plurimæ, ex quibus pauca aliquot in exemplum proponam.

In Concilio Agathensi de auditione Missarum quædam lex condita est, quæ à Gratiano citatur de consecrat. dist. 1. sub hoc verborum tenore. Missas die dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non presumat: quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. In cap. Ecclieis, de torneamentis, postquam apertis & expressis verbis prohibentur torneamenta fieri, statim contra hujus prohibitionis transgressores pœna decernitur his verbis. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei morienti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura. Quæ pœna non ad omnes in torneamento pugnantes, sed ad illos solos, qui illic mortui sunt, extendenda est, cum illi soli sint per legem expressi. In cap. unico de sagitariis hæc habetur lex ab Innocentio tertio condita. Artem illam mortiferam & odibilem ballistariorum & sagittariorum adversus Christianos Catholicos exerceri de cætero, sub anathemate prohibemus. In illa nimium vulgata decretali, Omnis utriusque sexus, quæ habetur in titulo de pœnitentiis & remissionibus, primum præcipitur omnibus, ut semel in anno peccata sua proprio sacerdoti confiteantur, & saltem in die Paschæ Eucharistie sacramentum recipiant. Quo dato præcepto, statim contra transgressores pœnam hujusmodi verbis statuit. Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Eiusdem conditionis est lex, sive canon, qui habetur in cap. Cum infirmitas corporalis, eodem titulo. Similes his sunt canones, qui habentur in cap. Roman. & in cap. Exigit de censibus libro 6. Ex jure civili aliquot oportet leges mixtas in exemplum adducere. In leg. Nequid, ff. de incendio, ruina, naufragio, postquam prohibetur, ut nullus res naufragorum causa surripienti colligat, quom ad litus ejectæ fuerint, aut in mari fluctuaverint, statim pœnam transgressoribus imponit per hæc sequenda verba. De his autem, quos diripiisse probatum

est.

est, prædem, ut de latronibus, grave in sententiam dicere. Item Ulpianus Jurisconsultus ad coercendam malorum iterum avaritiam, quamdam legem dedit, quæ habetur ff. de furtis, sub hoc verborum contextu: Tutor administrationem quidem rerum pupillarum habet, intercipiendi autem potestas ei non datur, & ideo si quid fraudandi animo amoverit, furtum facit, nec ufucapi res potest, sed & furti actione tenetur. Imperator Constantinus ad reprimendam & omnino sepeliendam pœsimam aruspicum artem, quamdam contra eos dedit legem, quæ habetur in C. de maleficis & mathematicis, sub hac verborum serie. Nullus aruspex, nullus sacerdos, nullus eorum, qui huic assolent ministrare, ad limen alterius accedat: nec ob alteram causam, sed hujusmodi hominum amicitia quamvis vetus repellatur: concretando illo aruspice, qui ad domum alienam accesserit, & illo in insulam deportando post ademptionem bonorum, qui eum advocaverit suasionibus & præmiis. Nolo plures leges pro hac re citare, quia hæc satis esse mihi videntur ad lumen ex illis exemplum. Si quis vero plures desiderat, quamvis ad hominem Theologum non spectet tot leges citare, aliorum plurimum sola capita citabo, ut lectori plurimarum legum cupido, prout potero, satisfaciam. Lex Judices, & l. Ad dictos, C. de Episcopali audientia, l. 1. C. Nemini licere signum salvatoris, & c. l. fin. C. de Judæis, l. Pergit, C. de sepulchro violato, l. 1. C. ad legem Juliam de ambitu, l. Omnes cognitores, l. Sancimus, C. ad legem Juliam repetundarum, l. fil. C. de seditiosis, l. 1. C. de famosis libellis, l. fil. C. de his, qui latrones occultant, l. Si quis intra provinciam, C. de bonis proscriptorum. Denique, ut legis mixtæ exempla lectori undique præbeam, aliquas ex jure Hispano, præsertim Regni Castellæ, leges in medium producere decrevi in libro secundo regaliū ordinationum, titulo 15. lex 7. præcipit cunctis Judicibus, ut nulla munera recipiant. Quicumque autem per se, aut per alium receperit aliquid quamlibet parvum munus, ipso facto amittat Judicis officium, & nunquam illud possit iterum habere: & reddat insuper munus illud, quod acceperat, cum duplo pro Camera regia. In eodem libro & titulo, lex ultima præcipit omnibus Judicibus & Notariis, ut pro sui laboris salario non exigant, aut recipient aliquid ultra id, quod per alias ejusdem Regni leges illis decretum est. Si quis vero contra fecerit, pro prima vice reddet id, quod ultra accepit, & insuper quadruplum; pro secunda reddat decuplum, pro tertia vero privetur officio, & amplius non utatur illo. Nec opus est plures in exemplum citare leges, quia hæc sufficiunt lectorem, quamlibet rudem, erudire. Omnes hæc leges tam divinæ quam humanæ, quas in hoc §. citavimus, leges mixtæ dicuntur, quia in qualibet illarum sub eadem verborum serie miscentur aliqua, quæ ad mores hominum publicos spectant, & aliqua, quæ pœnam transgressoribus imponunt. Est igitur quælibet istarum legum simul moralis & pœnalis. Nam quatenus de moribus disserit, moralis censetur; quatenus vero pœnam statuit, dicitur pœnalis. Et hinc manifeste convincitur, non solum verba (ut Sylvester ait) sed vere realem esse distinctionem inter legem pure pœnalem, & legem mixtam de eadem re disponentem. Nam legem pure pœnalem (ut ex dictis constat) nihil præcipit, aut prohibet, sed solum decernit pœnam illi, qui aliquid fecerit, aut facere omiserit. Lex vero mixta utrumque exequitur, quia præcipit, aut prohibet, & pœnam insuper contra transgressores statuit. His igitur omnibus sic prænotatis, opus est jam, ut primam & præcipuam hujus ca-

pitius conclusionem repetamus, & illam evidentibus argumentis comprobemus, quæ talis est.

Lex pure pœnalis, quatenus talis est, nunquam ex se obligat ad culpam mortalem, quamvis aliquando ratione gravitatis pœnæ innuat illum, cui pœna imponitur esse aliunde ad culpam obligatum. Primam hujus conclusionis partem probo: quia lex pure pœnalis nullum in se continet verbum, per quod possit constare illam obligare ad culpam: ergo talis lex nullo modo obligat ad culpam. Consequens ista est notissima: quia nulla lex potest aliquem ad culpam obligare, nisi illi adeo aperte ostendat, se velle illum obligare, ut ille clare possit cognoscere se esse per illam obligatum ad culpam. Nam ob hanc causam supra capite primo diximus, esse necessariam cuiuslibet legis, quæ naturalis non est, publicationem: nec legem aliquam, præter naturalem, posse homines obligare ad culpam ante illius publicationem. Quoniam alias homo (ut illic diximus) obligaretur ad impossibile, quod nefas est dicere. Parum autem refert legem publicare, si talibus verbis publicaretur, quibus ipsa non possit intelligi, aut illius obligatio à nemine possit agnoscî. Nam si hujusmodi verbis publicaretur lex, quantum ad illius obligationem attinet, idem esset ac si non publicaretur. Quia publicatio ad hoc solum est necessaria, ut homo sciat id, quod facere tenetur, & sub qua obligatione id facere tenetur. Est ergo summe necessarium, ut lex, quæ hominem ad culpam obligare debet, aliquibus verbis suam manifestet obligationem. Quod autem lex pure pœnalis nullum tale verbum in se contineat, apertissime probatur per ea, quæ superius cap. 5. documento 4. diximus, ubi recensimus omnia verba, quibus lex aliqua potest offendere, se obligare subditos ad culpam. Verba enim, quæ obligationem ad culpam inducunt, diximus esse ista. Præcipio, mando, jubeo, prohibeo, inhibeo, interdico, veto, aut quæ istis æquipolent, prout sunt hæc verba: teneantur, debeant necessario, necesse est, non potest, non licet: & si quæ sunt forte alia his similia. Et si post verbum, statimus, aut ordinamus, aut aliud simile, adderetur aliquid horum verborum, in virtute sanctæ obedientiæ, sub interminatione gehennæ, aperte (ut diximus) ostenderetur esse obligationem ad culpam mortalem. Constat autem in lege pure pœnali, nullum istorum verborum, quæ obligationem ad culpam ostendunt, haberi, nisi forte in ordine ad pœnam, quæ per legem statuitur. Si enim in ordine ad pœnam talia verba ponerentur, denotarent obligationem ad pœnam per Judicem imponendam, aut per reum (ut alias dicitur) suscipiendam, non tamen obligationem ad id faciendum vel omittendum, propter quod imponitur pœna. Ut gratia exempli: Si lex sub hoc verborum ordine condita sit, Eum, qui noctu armis accinctus fuerit, illis spoliari præcipimus. Hæc lex (ut ex illius verbis aperte constat) Judicem solum, ad quem pœnam illam infligere spectat, obligat, ut pœnam per legem expressam infligat, & non obligat reliquos, ut à portandis armis abstineant. Quia illud verbum præcipimus non respicit armorum delationem, nec ad illam refertur, sed ad solam pœnæ impositionem. Et de illa obligatione, quæ respicit pœnam, ego in mea principali conclusione non sum loquutus; sed de obligatione, quæ respicit id, propter quod pœna imposta est. Et ad talem obligationem ostendam oporteret, ut verbum præcepti aut prohibitionis apponeretur circa id, propter quod imponitur pœna, prout fit in lege mixta, sic dicente. Præcipimus, ut nullus noctu armis accinctus incedat, & si quis hoc modo incedens inventus fuerit, armis spoliatur. In tali



tali enim verborum forma, verbum præcepti refertur ad armorum delationem, quod (ut diximus) non fit in lege pure pœnali. Et propter hanc causam ego in mea principali conclusione dicens, legem pure pœnalem non obligare ad culpam, addidi, quatenus talis est. Nam lex pœnalis, quæ imponit pœnam à iudice imponendam, dupliciter considerari potest, juxta duas diversas personas, quas lex illa respicit, quæ sunt Judex, & Reus. Si ad reum talis lex referatur, dicitur pure pœnalis: quia reo pœnam infligendam esse statuit, nihil profus illi præcipiens, aut prohibens, & ita dicimus reum ex vi illius legis, quæ (ut diximus) dicitur pure pœnalis, numquam esse obligatum ad culpam. Si vero ad iudicem, à quo est illa pœna infligenda, lex illa referatur, tunc lex illa erit moralis & præceptiva censenda. Quia iudici non imponitur lex illam pœnam, quam adversus reum statuit, sed solummodo præcipit iudici, ut talem pœnam imponat reo. Poterit igitur talis lex pure pœnalis (ut alio capite infra dicemus) obligare iudicem ad culpam, si non infligerit reo illam pœnam, quam lex infligere præcipit. Possit etiam lex talis statui, quæ præciperet hanc, aut illam esse reo infligendam pœnam, quam si iudex infligere neglexerit, eadem, aut alia similis imponatur iudici. Ut igitur totam hanc nostram disputationem ad breve compendium reducam, dico per hoc aperte convinci legem pure pœnalem, quatenus talis est, non obligare ad culpam, quia in tali lege pure pœnali nullum est verbum talem obligationem ostendens. Sed forte aliquis dicit: satis aperte ostendit talem obligationem ad culpam, per hoc quod pœnam imponit: quia si culpa non esset, numquam imponeretur pœna. Sed hanc responsionem esse falsissimam, & falsissimo illam inniti fundamento, aperitissime, Deo favente, convincam. Numquam enim per unum è duobus datur intelligi alterum, nisi illa duo sint correlativa, aut unum eorum necessario dependeat ab altero, & sine illo consistere nequeat. Relativa, quia se mutuo respiciunt, semper se invicem manifestant, & cognitio unius continet cognitionem alterius. Id etiam quod ab altero dependet, & non potest sine illo subsistere, si factum esse dicatur, eo ipso datur intelligi, esse etiam illud, à quo dependet, & sine quo existere non posset. Ut gratia exempli, si quis dicat Petrum existere alicubi, eo ipso innuit illius corpus & animam illic esse, quia homo verus sine corpore, aut anima nullibi existere potest. Si quis etiam (ut rebus naturalibus omisit, de civilibus rebus exempla sumamus) dicat Petrum, aut Joannem condidisse testamentum, eo ipso dicit illam instituisse aliquem heredem, quia sine hæredis institutione testamentum perfectum esse non potest, ut dicitur Instit. de Legatis, §. Ante hæredis institutionem. Qui diceret etiam Petrum rem aliquam non suam legitime præscripsisse, eo ipso innuit illum toto tempore, quo rem illam usque ad præscriptionem possedit, bona fide possedisse. Quoniam legitima præscriptio sine bona fide haberi non potest, ut decernitur in cap. ultimo, de Præscriptionibus, & in regula Possessor, de Regalis juris, lib. 6. Quando autem unum ab altero non dependet, sed absque illo optime consistere valet, numquam per positionem illius datur intelligi reliquum. At, pœna (ut Jurisperiti de illa loquuntur, & nos etiam impræsentiarum loquimur) non necessario dependet à culpa. Quoniam et si pœna numquam alicui imponatur sine causa, frequenter tamen alicui imponitur sine culpa sua, & aliquando sine aliena, ut clarissime constat de irregularitate, quam incurrit bigamus propter secundas nuptias, &

quam incurrit iudex propter moris sententiam, quam iuste contra aliquem protulit. Cum igitur pœna non dependeat à culpa, neque illam necessario exigat ad sui consilientiam, convincitur inde aperte ex impositione pœnæ, minime ostendi obligationem culpæ, & inde ultra sequitur, legem pure pœnalem, quatenus talis est, numquam obligare ad culpam. Præterea, numquam lex aliqua potest obligare ad aliquid, præterquam ad illud, quod per verba illius explicatur: sed lex pure pœnalis non exprimit aperte aliquid esse necessario faciendum, vel omittendum, sed solum exprimit pœnam contra eum, qui hoc, aut illud fecerit, vel omiserit: ergo lex pœnalis non obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum; ex quo manifeste sequitur illam, quatenus talis est, non obligare ad culpam. Alia sunt adhuc ad probandum hanc conclusionem efficacissima argumenta, sed illorum virtus, & potentia clarius patebit ex solutione eujusdam argumenti, quod Sylvester ad suæ opinionis probationem facit. Nam Sylvester, in titulo Inobedientia, irridens (ut dixi) hanc distinctionem legis pœnalis, quam ex mente Henrici esse docui, dicit universaliter omnem legem pœnalem, quacumque verborum forma statuatur, hoc est, si illa sit pure pœnalis, si mixta, semper obligare ad culpam. Ad quod probandum hoc utitur argumento. Nullus apponit pœnam statuto, nisi quia vult aliquid fieri, vel omitti: ergo sic volendo obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum: & inde sequitur, ut is qui contra talem obligationem facit, vel omittit, peccet. Et certe (ut ingenue loquar) ego vehementer admiror, quod vir aliqui doctus, qualem censo fuisse Sylvestrum, propter tam debile argumentum motus sit ad talem opinionem, & tam aperte falsam tenendam. Valde etiam miror, quod Henricum à Gandavo per illud argumentum expugnare se dicat: cum ipse Henricus eodem argumento motus, idem sentiat & doceat, quod Sylvester. Nam est Henricus faciat legem pure pœnalem ex forma verborum non obligare ad culpam, ex intentione tamen ipsius statuentis dicit illam aliquando obligare ad culpam, aliquando non. Quæ differentia (ut ille ait) oritur ex diversitate rerum, de quibus leges ipsæ disponunt, & ex diversa intentione ipsius statuentis, ut puta quia lex pœnalis statuit pœnam propter rem simpliciter malam, aut propter rem indifferentem. Si lex statuit pœnam propter rem simpliciter malam, quales sunt leges, quæ pœnam decernunt contra adulteros, aut latrones, dicit illam, quamvis sit pure pœnalis, ex intentione legislatoris obligare ad culpam. Quia propter hoc dicit pœnam esse à legislatore statutam, ut illud simpliciter, & absolute malum numquam fiat, & per solam passionem talis pœnæ dicit culpam illam non deleri. Si vero lex pure pœnalis decernit de re indifferenti, quæ nec est ex se mala, nec bona, prout est lex, quæ in aliquibus religionibus habeatur, sic dicens: Quicumque post dictum Completorium loquutus fuerit cum quovis, dicit septem Psalmos. In tali lege dicitur aliam esse habendam considerationem. Et ut clarius illius mens, & sententia intelligatur, verbi gratia, si quis dicit, volo illius verba citare, quibus suam exprimit mentem, sic inquit: In tali statuto pœnali, eo quod est super indifferenti, intentio statuentis si rationalis sit, debet esse, non ut non loquatur aliquis omnino post Completorium, quia hoc in casu aliquo posset vergere in magnam dampnum, aut incommodum. Et etiam debet esse intentio ejus, non solum ut non loquatur in casu magnæ necessitatis, de quo jam dictum est, sed quod non loquatur in multis

casibus inferioribus, scilicet, ne passim & temerarie, aut ex levi causa loquatur tunc. Sed si rationalis causa loquendi occurrat etiam citra dictam magnam necessitatem, quod tunc, si loquatur, hoc sit sub pœna apposta, quæ apponitur in tali casu, ut cogat eum ponderare, an causa propter quam eum videtur loquendum, sit rationalis. Hoc enim convincitur ex qualitate & quantitate pœnæ, per hoc quod juxta regulam rationis rectam ponderantis, mavult hujusmodi pœnam subire, quam loqui ex tali causa postponere. Dico ergo, quod si loquamur de hujusmodi statuto pœnali, referendo ipsum ad intentionem statuentis, quod obligat transgressorem ex rationabili, & probabili causa solummodo ad pœnam, & nullo modo ad culpam: immo cum talis causa occurrit, potius meretur quam demeretur, si loquatur, & pœnam legitime persolvat, quam etsi in hoc casu sustinet sine culpa, non tamen sine causa. Transgressorem vero passim & temerarie sine causa rationali, æstimo quod non solum obligat ad pœnam, sed ad culpam. Quia statutum ex intentione statuentis rationabiliter implicat, ne temerarie quis loquatur omnino, & sub hac pœna, sed tunc solummodo cum rationalis causa occurrit, ut dictum est. Et sic transgressor temerarius talis statuti pœnalis non potest ipsum transgredi absque omni culpa, solvendo pœnam. Et simile est de statutis Principum & Prælatorum in consimili materia. Hactenus Henricus, cujus verba, nec uno mutato, tam prolixè citavi, ut ex illis clarissime omnibus constat, opinionem Henrici esse, omnem legem pœnalem, quacumque verborum forma statuatur, semper ex intentione statuentis obligare ad culpam, nisi quando est de re indifferenti, & rationalis causa transgressionis occurrat. Quo casu non dubito etiam Sylvestrum idem dicentem. Quia juxta doctrinam Sancti Thomæ, quem ille imitatur, ac tuetur, ubi rationalis causa, quæ est moralis necessitas, occurrit, si superior, penes quem est dispensandi potestas, conveniri non potest, tunc ipse subditus potest secum dispensare, ut contra legem agat. Quibus omnibus plene circumspèctis, constat nullum esse inter Sylvestrum & Henricum discrimen, sed de hac re prorsus inter illos convenire. Deinde argumentum, quod pro se adducit Sylvester, illud etiam facit Henricus, ut probet omnem legem pœnalem obligare ad culpam, sic inquit: In omni statuto pœnali, principalis intentio statuentis non attendit ad pœnam: hoc enim tyrannidis esset & crudelitatis, sed attendit ad alicujus operis, virtutis, & legalis consuetudinis observantiam, ad quam, ut legi subiectos forius adstringat, nec per inobedientiam transgrediantur, pœnam adjungit. Quare transgredi opus virtutis, vel legis observantiam, quam in statuto quocumque pœnali legislator principaliter intendit, cui pœnam ipsam secundaria intentione annexit, non potest esse, quin sit culpabilis, si contra legislatoris intentionem transgrediat. Dicendum est igitur absolute, quod non est aliquid statutum pœnale, quin etiam transgressores obliget aliquo modo ad culpam. Hæc omnia Henricus. Quæ verba si lector diligenter adveniat, facile intelliget Henricum & Sylvestrum esse in eadem sententia concordēs, & Henricum eodem argumento motum esse, ad opinandum omnem legem pœnalem ex intentione statuentis obligare ad culpam, quod pro se adducit Sylvester contra Henricum, putans illum longe aliter sensit, quam sonat. Propter quod ego vehementer suspicor Sylvestrum non legisse ipsos Henricum, sed solum quoddam illius centones, quos in Summa Angelica citatos invenit. Ut tā-

men rem hanc legitime ille tractasset, debuisset prius Henrici litteram legere, & bene illius sensum percrutari, qui si illi ob aliquam justam causam displicuisset, merito ab illo discedere potuisset, sed cum modestia & christiana urbanitate, qualem decet virum Theologum, præsertim Monachum, & tam sancti, ac tam modesti patris, qualis fuit Sanctus Dominicus, imitatore. Sed hæc missa faciamus, & ad solutionem argumenti, quod pro sua opinione Henricus & Sylvester adducunt, nostram orationem revocemus, ostendentes quam debili fundamento illi innitantur. Fateor quidem quod illi objiciunt, quamvis illud (ut mox dicemus) non semper sit verum in omni lege pœnali primam & præcipuam legislatoris intentionem esse ut fiat, vel omittatur id, propter quod imponitur pœna, non tamen inde necessario sequitur eos qui tali legi subduntur, esse obligatos ad culpam, si faciant, vel deserant id, propter quod imponitur pœna. Quoniam qui intendit aliquid, ab aliis fieri, vel omitti, non semper eo ipso vult illos ad id faciendum, vel omittendum obligare, etiam si ille talis sit, qui illos obligare potest. Frequenter enim contingit, ut is, qui potestatem obligandi habet, velit aliquid ab aliis fieri, & suam illis manifeste voluntatem, nec tamen per hoc illos obligare intendat. Et hoc non solum in hominibus, sed etiam in ipso Deo frequenter experimur. Manifestat siquidem nobis Deus voluntatem suam per consilia, quibus aperte declarat se velle, ut faciamus id, quod nobis consulit, non tamen sic volendo, intendit nos obligare ad id quod consulit. Consulendo igitur quamvis intendat, ut faciamus id quod consulit, non tamen hac intentione ad id nos obligat. Et idem prorsus dicendum est de aliis hominum prælatorum consiliis. Præterea, sicut legislator per legem obligationem ad culpam ostendit se velle ut fiat, vel deseratur id quod lex præcipit, aut prohibet: ita sine obligatione culpæ, sed per solum pœnæ timorem potest sibi subiectos inducere ad faciendum, vel omittendum id, propter quod imponitur pœna. Tales leges diximus esse omnes quæ continentur in statutis Fratrum Minorum, & in statutis Fratrum Prædicatorum, quæ non obligant ad culpam, quamvis per illas intendatur, ut fiat, vel omittatur id quod per illas statuitur. Non est ergo necessario consequens, ut legislator, qui legem ferens intendit, ut aliquid fiat, vel omittatur, eo ipso intendat obligare ad illud. Forte aliquis respondebit & dicit, ideo hoc in illis Fratrum statutis contigisse, quia ipsi statuto suo hoc expresserunt, se nolle per statuta illa Fratrum conscientias ad aliquam culpam obligare: & si hoc non præmonuissent, non fuisset dubium, quin talia statuta obligarent ad culpam. Sed hæc responsio facile convincitur per hoc quod in prima regula Sororum Sanctæ Claræ, à beato Francisco edita, & per Innocentium quartum hujus nominis Pontificem, confirmata, multæ leges continentur, quæ etsi per eas intenditur Summus Pontifex, ut ea fierent, vel omitterentur, quæ ipse in illis statuit, non tamen obligant Sorores ad culpam, prout Eugenius quartus postea declaravit, quamvis beatus Franciscus regulam illam statuens, aut Innocentius Papa illam confirmans, nihil tale expressit, quæle Fratres Minores, aut Prædicatorum in suis statutis fecerunt. Ex quo aperte convincitur, ut legislator, qui legem statuens, intendit aliquid à suis subditis fieri, vel omitti, non eo ipso intendat eos ad id faciendum, vel omittendum obligare. Forte quis dicit Eugenium, eo quod parem habuerit potestatem, revocasse tamen præceptorum multitudinem, quanta in illa prima regula con-



inebantur, alioqui si id non fecisset, illa omnia obligasset. Hoc tamen aperte convincitur esse falsum, ex eo quod Eugenius non dixit se revocare regulam illam per Innocentium confirmatam, aut se dispensare in illa, sed solum dicit se declarare regulam illam, sic inquit: Auctoritate & tenore presentium declaramus & volumus quod in nullius predictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis & claustræ, & super electione Abbatiæ, & dispositione, peccatum mortale incurant. Hæc Eugenius Papa. Deinde, licet Fratres Minores, aut Predicatores in suis statutis præmonuerint, se nolle per illa statuta Fratres ad aliquam culpam obligare, ex illa tamen monitione hoc aperte colligitur, legistorem posse, quum voluerit, legem statueræ, per quam sine aliqua culpæ obligatione intendat, aliquid à suis subditis fieri, vel omitti. Et inde apertissime deducitur non esse necessario consequens, ut quoties legislator intendit aliquid à suis fieri, toties intendat eos ad illud obligare. Mala est igitur consequentia illius argumentationis, qua Henricus & Sylvester nituntur probare, omnem legem poenalem obligare ad culpam, sic arguens: Legislator talem legem statuens intendit, ut fiat, vel omittatur id propter quod poenam imponit: ergo obligat ad illud. Quam mala sit hæc consequentia, prudens lector ex his quæ diximus, facile agnoscat. Sed neque illius consequentiæ antecedens est usquequaque verum, quia (ut statim ostendam) non semper in omni lege poenali legislator intendit, ut fiat, vel omittatur id propter quod imponitur poena, sed propter alium justum finem. Hoc enim constat esse verum in omni lege poenali, quæ statuit poenam alicui sine sua culpa, non tamen sine justa causa infligi. Nam leges poenales, quæ filiis hæreticorum poenas imponunt, non intendunt, ut fiat, aut omittatur omne illud propter quod tales poenæ imponuntur. Quia tales poenæ ideo illis imponuntur, quia filii hæreticorum sunt, lex autem non intendit, ut illi faciant se non esse hæreticorum filios, quia hoc est illis impossibile. Forte aliquis dicet, legislatorem per tales leges intendere, ut homines ab hæresibus caveant, ne suos filios tam gravibus poenis puniri videant. Ab hæresi autem cavere quilibet potest cum Dei adiutorio, quod ipse cuilibet bene credere volenti, semper paratus est dare. Fateor legislatorem hoc ipsum intendere, sed propter hæresim unius numquam aliter catholico poenam irrogaret, nisi ille catholicus res esset quæ quodammodo ad hæresim pertineret. Propter hoc igitur solum punitur catholicus, quia est hæretici filius, quoniam est qui visalius homo hæreticus fiat, iste catholicus non ideo punietur, si filius filius non esset. Et licet ob hoc solum filio catholico lex irroget poenam, quia filius hæretici est, non tamen intendit, ut ille filius id omittat, propter quod poena sibi imposita est, quia in sua potestate situm non est, ut definat esse hæretici filius. Et eodem modo potest argui de filio illegitimo, qui sine culpa sua, non tamen sine causa, hanc sustinet poenam, ut non possit sacrum altaris ministerium exercere. Constat autem, quod lex hanc poenam illi imponens, non intendit per illam avocare illum, aut removere ab illegitimatione, quam à se expellere non potest. Quod si ista exempla, quamvis manifestissima, alicui non placent, profero alia multo apertiora, quæ nostram sententiam tam manifeste probant, ut nullam hosti, qua elabi possit, rimulam relinquunt. Lex quæ imponit irregularitatis poenam illi qui secundas celebravit nuptias, non intendit quod fiat, aut omittatur id propter

quod talem imponit poenam. Nam si id intenderet, eo ipso, juxta Henrici & Sylvestri sententiam, obligare videretur homines, ut secundas nuptias non contraherent. Et inde ultra sequeretur eos omnes peccare qui secundas tenerint nuptias: quod est aperte erroneum, & est hæresis Cathaphrygarum & Novatianorum. Lex etiam quæ poenam irregularitatis infligit judici, danti contra aliquem justam mortis sententiam, non intendit per talem poenam revocare illum à talis sententiæ prolatione, quamvis illa sit propter quam lex talem illi irrogat poenam. Nam sic intendens videretur tollere à iudicibus eam occidendi potestatem, quam Christus Salvator noster illis tribuit, dicens: (Matt. 26.) Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit. Falsum est igitur, legislatorem semper in omni lege poenali intendere, ut fiat, vel omittatur id propter quod est imposita poena. Nec propterea sequitur (ut Henricus ait) talem legem pure poenalem esse tyrannidem dicendam. Quia etiam non præcæsit culpa, satis est præcedere causam, ut propter illam iuste possit poena imponi. Nam sæpe contingit ut aliquis sine culpa sua careat aliquibus quæ sunt necessaria ad aliquod officium bene exercendum: & ob hanc causam iuste possit poena imponi. Nam sæpe contingit ut aliquis sine culpa sua careat aliquibus quæ sunt necessaria ad aliquod officium bene exercendum: & ob hanc causam iuste possit poena imponi. Nam hæc illi infligitur poena, ut tale officium assumere, aut assumptum exercere non valeat. De qua re nolo quidquam impræsentiarum differere, quia de illa satis abunde me dixisse memini libro secundo de Justa Hæreticorum punitione, capite undecimo. Sed adhuc contra hanc nostram sententiam posset aliquis argumentari, sic dicens: Si lex pure poenalis, quatenus talis est, non obligat ad culpam: ergo non est dicenda lex. Nam (ut capite primo hujus operis diximus) non est lex dicenda, sed consilium, aut aliquid aliud simile, quæ subditos non constringit, aut obligat ad id, quod per legem decretum est. Sed huic argumento facilis patet responsio ex his quæ superius in hoc capite diximus lib. 2. cap. 11. Si lex poenalis statuit poenam à iudice inferendam, iudici præcipit ut illam poenam reo infligat, & sic illum (ut postea alio capite dicemus) ipsum iudicem obligat ad talem poenam inferendam. Si vero lex poenalis statuit poenam ipso iure latam, tunc (ut infra, Deo duce, aperte ostendam) obligat ipsum reum ad illam poenam sustinendam. Et propter hanc causam ego in conclusione, quam in principio hujus capituli posui, non dixi abolitam legem poenalem ad nullam culpam obligare, sed contractus loquutus sum, sententiam meam restringens ad solam illam culpam, quæ incurri posset, propterea quod id fuisset factum, vel omissum, propter quod est imposita poena. Potest igitur lex pure poenalis obligare iudicem ad poenam inferendam, vel reum ad sustinendam: neutrum tamen obligare potest ad faciendum, vel omitendum id propter quod imponitur poena. Et certe ex defectu hujus considerationis fuit deceptus Sylvester, citans pro se beatum Thomam, dicentem, omnes leges humanas iustas obligare subditorum conscientias. Fateor quidem cum beato Thoma, leges humanas obligare ad culpam, non tamen ultra id quod leges decernunt. At lex pure poenalis de nulla re disponit, nisi de poena: ergo licet obliget ad culpam, talis obligatio non erit nisi ad poenam inferendam. Et certe Cajetanus, qui multo melius (ut ego censeo) novit mentem beati Thomæ quam Sylvester, huic meæ sententiæ favet, prout ex verbis illius infra, per me citandis, clare constare poterit.

Restat, ut secundam nostræ primæ & præcipuæ conclusionis partem declarem, & probemus, & illa decla-

rata, & sufficienter probata, inde adhuc prioris partis veritas clarius innosceset. Secunda pars nostræ primæ conclusionis, dicit homines aliquando esse obligatos ad culpam, & peccare, propterea quod faciunt, vel omittunt id propter quod est imposita poena: sed hæc obligatio non indicatur virtute legis pure poenalis, sed virtute alterius legis moralis scilicet datæ, quæ id præcipit, aut prohibet. Contingit enim sæpe, ut legislator primo per particularem aliquam legem præcipiat, aut prohibeat aliquid fieri: postea videns legem suam sæpe & passim præteriri, statuit legem pure poenalem, per quam decernit poenam contra legis transgressores, ut poenæ timore illos cogat ad legis observationem. Et casu huiusmodi qui legi subduntur, obligantur ad culpam, non tamen habent hanc obligationem à lege mere poenali, sed à lege morali. Si quis igitur tunc post poenalem legem datam contra legem ageret, peccaret: non tamen ideo quod transgressus est legem pure poenalem, sed quia fecit contra legem moralem. De qua re volo ex omni iure aliqua exempla proferre, ut res ipsa exemplorum multitudine fiat notior. In Levitico cap. 18. multæ habentur leges, quæ Deus olim per Moysen dedit, quibus multa prohibuit, nullam profus transgressoribus illarum legum apponens poenam. Postea ejusdem libri, cap. 20. prævidens Deus futuros esse multos qui prædictas leges non observarent, ut timore poenæ homines ad illarum observationem urgeret, statuit leges pure poenales contra eos qui leges illas morales prius transgrederebantur. In cap. 18. dicit lex divina: Turpitudinem uxoris patris tui non discoperies. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi, vel foris genita est non revelabis. Et alia multæ consemiles in eodem capite continentur, quibus tot aliæ leges pure poenales correspondunt, cap. 20. ejusdem libri, ita ut singulae cuique legi morali quæ habetur in cap. 18. correspondeat alia lex pure poenalis, quæ specialiter pro transgressione illius tantum legis poenam imponit. Nam lex pure poenalis, quæ correspondet illi primæ nunc proxime citatæ, habetur cap. 20. sic dicens: Qui dormierit cum uxore sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriatur. Et ad hunc modum sunt plures aliæ leges in illo capitulo, quæ poenam imponunt his, qui transgressi fuerint illas leges morales, quæ datæ fuerant in capite decimo octavo. Si quis igitur contra aliquam illarum legum fecisset, peccaret quidem, & esset obligatus ad culpam: hanc tamen obligationem non haberet à lege pure poenali, sed à sola lege morali, quam fuisset transgressus. Et certe ex hoc legis divinæ exemplo fuminat argumentum meo iudicio efficacissimum, ad probandum legem pure poenalem non obligare ad culpam. Nam si illa ad culpam obligaret, sufficiebant illæ leges poenales quæ dantur in capite vigesimo, & ita superfluebant omnes aliæ quæ datæ fuerant cap. 18. Non est autem rationi consonum, ut tantam dicamus esse in lege divina verborum superfluitatem, ut quæ semel dicta sunt, iterum subito, modica litera interjecta, repetantur. Ne igitur inanem illam verborum repetitionem in lege divina admittamus, cogimur dicere priores illas leges, quæ habentur in cap. 18. esse pure morales, obligantes solum ad culpam, & posteriores illas, quæ de eisdem rebus in cap. 20. decernunt, esse pure poenales, obligantes ad solam poenam, & non ad culpam. Hoc idem contingit in omni lege humana pure poenali quæ imponit poenam pro transgressione alicujus præcepti divini, ut est in cap. primo de Clericis pugnanti-bus in duello, & in cap. De cætero, de Homicidio volun-

ario. Nam si quis Clericus in duello pugnaverit, peccabit, quia agit contra præceptum divinum, & non quia agit contra illud cap. 1. de Clericis pugnanti-bus in duello. Quia textus ille, cum nullum contineat præcepti, aut prohibitionis verbum, sed solam poenam imponentem, non obligat ad culpam. Et idem dicendum est de Diacono qui causam homicidio dedit: quia ille eo ipso manifeste ligatus in culpa, non tamen virtute illius capitis. De cætero, quod constat esse pure poenale, sed virtute præcepti divini, quod ait: Non occides. Idem dicendum est per omnia de latronibus, venenariis, incendiariis, & aliis qui puniri jubentur in l. Capitulum, ff. de Penis. Si quis aliquod istorum criminum commiserit, non est dubium illi esse ligatum in culpa, sed hoc erit virtute legis divinæ, quæ omnia talia crimina fieri prohibet, non tamen virtute illius legis Capitulum: quia cum illa (ut constat) sit mere poenalis, non obligat ad culpam ex transgressione illius propter quod poenam imponit. Et ne aliquis putet esse singularem in hac sententiâ, & nullum habere Doctorem qui huic meæ sententiæ favet, profero Cajetanum, qui in Commentariis super Secundam Secundæ Sancti Thomæ q. 187. art. 5. tractans de peccato illorum qui ex sola cupiditate mendicant, & sciens legem pure poenalem esse contra illos latam quæ habetur lib. 1. Codicis, titulo de Mendicanti-bus validis, tandem per hæc verba respondet. Dico quod mendicans ex cupiditate otiosus, victus ex quo in veritate est pauper, nullam fraudem committit in proximo, sed solum peccat in seipsum, otiosam vitam & abjectam, absque ulla rationabili causa eligens, & propterea nulla est hic ratio peccati mortalis. Neque etiam propter poenam legis civilis, quia huiusmodi poena non facit, sed suppositam puniit culpam, quæ de se non est mortalis. Hæc Cajetanus. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod dixit legem illam civilem non facere culpam, hoc est, non obligare ad illam, sed suppositam culpam punire. Quæ licet de se non sit mortalis, quia tamen talis otiositas sæpe multorum mortalium peccatorum est causa: ideo tam graviter per legem illam puniatur, ac si ipsa esset peccatum mortale. Nam lex illa poenam servitutis imponit valido mendicanti decernens, ut is qui talem mendicantem validum prodiderit, dominium illius consequatur. Hanc tamen legem dicit Cajetanus non obligare ad culpam. Quod non ob aliam causam ille dixit, nisi quia lex illa mere poenalis est, nihil præcipiens, aut prohibens, sed solam imponens poenam. Ex his omnibus jam aperte constat verum esse id, quod in secunda parte nostræ primæ conclusionis diximus, hominem esse obligatum aliquando ad culpam, quia facit, vel omittit id propter quod lex pure poenalis imponit poenam, quamvis talis obligatio non oriatur à lege pure poenali, sed à lege alia morali. Hanc autem obligationem ad culpam quæ ex alia lege morali oritur, aliquando ipsa lex mere poenalis ex gravitate poenæ quam imponit, aperte dat intelligere. Nam (ut cap. 5. superius diximus) aliquæ sunt poenæ tam graves, ut non nisi pro peccato mortali iuste possint infligi, ut sunt mors, membri alicujus abscisio, servitus, perpetuus carcer, aut perpetuum exilium, & communicatio. Quando igitur lex pure poenalis aliquam istarum poenarum imponit, eo ipso innuit, per aliam legem, aut divinam, aut humanam esse præceptum aut prohibitum id propter quod est imposita poena tam gravis. Quoniam cum illa non nisi pro culpa gravi possit imponi, & ad illam lex pure poenalis (ut hæc-